

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Oratio funebris Magnifico & Nobilissimo Viro Dn. Henrico  
Colero, Consuli quondam liberae ac Imperialis Reipublicae  
Lubecensis primario**

**Bangert, Heinrich**

**Lubecae, [1641]**

**VD17 VD17 125:046332X**

[urn:nbn:de:gbv:45:1-704681](#)

D. O. M. A.

25

# Oratio funēbris

*Magnifico & Nobilissimo  
VIRO DN.*

HENRICO  
COLERO,

Consuli quondam liberæ ac Imperialis Reipublicæ Lubecensis primario,  
habita

*in auditorio publico à*

M. Henrico Bangerto,  
Sch. Lubec. Prorectore.



LUBECÆ,

*Typis JOHANNIS MEIERI. 15*—* pl.  
13 Oct: 1662. Lipsie.*

N<sup>o</sup> 24



VIRIS,  
Nobilissimis Magnificis Amplissimis & Consul-  
CO  
SEN  
Lib  
I  
Patr

arkarte #13

	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
1							
2							
3							
4							
5							
6							
7							
8							
9							
10							
11							
12							
13							
14							
15							
16							
17							
18							
19							
8							

B.I.G.





*VIRIS,*  
*Nobilissimis, Magnificis, Amplissimis & Consul-*  
*tissimis,*

DOMINIS  
**CONSULIBUS**  
&  
**SENATORIBUS**  
Liberæ ac imperialis urbis  
**LU BECÆ,**  
Patronis meis æternum ho-  
norandis

*dedico submissè.*

*Nobi-*





Nobilissimi, Magnifici, Amplissimi, Consultissimi  
Domini,

**S**i, qua benevolentia hanc orationem me-  
am nuper audistis, eadem illam nunc  
suscipietis, non tantum mihi gratula-  
bor, sed erit etiam quare *Vobis* maxi-  
mas agam gratias. De hoc autem eò mi-  
nus dubitare audeo, quò evidentiora vestri erga me fa-  
voris signa videre mihi videor; quare etiam factū est,  
ut tanto magis in opinione mea de funebri hac lauda-  
tione clarissimo vestro nomini inscribenda confirma-  
tus fuerim: quò namq; me vertebam, occurrebat aliqua  
ratio, quæ id suaderet. Cùm enim ad illum respicerem,  
cujus honoris dicta est oratio, nemini potius istam deberi  
putabam, quam splendidissimo isti ordini, in quo ipse  
tamdiu maximā cum nominis sui dignitate versatus  
est, cuius caput tot annos fuit, qui ipsum morientem la-  
chrymis prosecutus est, & nunc frustra desiderat. Cùm  
ad vos me converterem, quibus audientibus eam pro-  
nunciavi, attentus iste vester in illa audienda animus  
nihil aliud præse ferre videbatur, quam velle vos eam,  
quam tam honorifica præsentia ornaretis, contra ma-  
levolorum voculas etiam autoritate vestra defendere.

) ( 2

Cum



Cum verò de me ipso cogitarem, idem mihi vita & studiorum meorum rationes persuadebant. Ad quos enim alios rediret prima mea in hac civitate lucubratiuncula, quam ad illos, sub quorum auspicio illa in lucem prodit? quibus me potius commendarem, quam istis, qui quos semel in fidem receperere, habent sibi commendatissimos; qui de bonis literis optimè mereri & possunt & volunt: quibus pro schola amplificanda summa cura est atq[ue] solicitude? Cum mecum reproto vestrum erga vestros amorem, religio mihi est subdubitare de animo vestro, quo sitis hanc meam oratiunculam recepturi. præclarè mecum actum putabo, si quo favore me hactenus complexi estis, eodem me deinceps etiam prosequamini. JEHOVAH, à quo solo rerum publicarum salus est & incolumentas, sanctissimo suo VOS regat numine, corporis sanitatem, animo tribuat sapientiam: conservet urbem in hoc tanto bellorum turbine, quam nunc quingentos annos contra tot malorum agmina, ex gravissimis saepe erectam calamitatibus, tueri voluit.

Magnificentias & Amplitudines Vestras

animo submissō colens

M. Henricus Bangert.





# M. HENRICUS BANGER TUS

Lectori salutem.

**S**I quando Dei admirandam hujus universi admis-  
trationem & in humano genere conservando  
imperscrutabilē providentiam paulò diligentius  
apud animum meum reputo, inter cætera sæpe  
& illud considerare soleo, quod pro infinita suâ sapi-  
entiâ omnibus seculis quosdam viros præ reliqua  
multitudine excellentissimis animi dotibus instru-  
tos excitare solitus sit, quibus mundum regeret, id  
est, quorum operâ mortales ad religionem & virtu-  
tem erudiret, eosq; in politica societate contineret.  
Hos tanquam lampades quosdam clarissimas succen-  
dit, ut reliqua turba in mentis caligine versans, in eos  
intueretur, & itineris in hoc mundi calle superando  
haberet duces. Non omnes, qui excellentes facti sunt,  
solo labore tales facti sunt : divinitus quidam supra  
fortem humanam elevantur. verum est vetus illud :  
nemo sine labore magnus factus est ; sed non minus  
verum & hoc, neminem solo labore conditionem  
humanam excessisse. Videas eosdem eodem studio

contendere ad gloriam, altero ad sumnia perveniente, altero in imo remanente subsellio. Gentiles rei causam quæsivere in fortunæ lusu, quæ hunc extollat, illum autem conantem assurgere reprimat. In astrorum positu, qui nativitatem alicujus excepit, illâ aut emergendi aut latendi causam sitam quidam contenderunt. Dijs hos genitos suspicabantur inter gentes pleriq; quos magnis rebus gestis deos æmulari observabant. At si vera ratio indaganda sit, aut sola, aut præcipua invenietur singularis Dei providentia, quæ vult, ut omni ævo quidam excellant, quiq; non tantum supra conditionem mortalis naturæ sapient, sed etiam rebus præclarè gestis cæteros mortales longis parasangis post se relinquant. Id exemplis confirmarem, si res postulare videretur, & ratio instituti permetteret. Qui tamen illa desiderat, eat in historiam sacram veteris & novi fœderis : contempletur animo duas illas insignes respellas, Græcam & Romanam, & singulis seculis in ecclesiæ hierarchia & politiarum administrationibus semper aliquos ita eminuisse liquidò deprehendet, ut non de communiluto præcordia ipsis finxisse Titan credi possit.

Num his accensendus sit vir magnificus & nobilissimus HENRICUS COLERUS, consul quondam hujus reipublicæ optimus, nemo, credo,  
ambi-



ambiget, qui de rebus ejus gestis sine livore & in vidia  
judicare non subterfugit. Oculis ille nostris ereptus  
est, cum fatis suis satisfaciens ad multos abiit, non ta-  
men animis & cogitationibus. Scilicet crescit post fu-  
nera virtus, cum primis illa, quæ etiam in vita omni  
invidiâ major fuit, & tanta, ut plures, qui eam mira-  
rentur, quam qui imitari possent, haberet. Ut itidem  
sapientes in mortuis suis lugendis consilio prudētiaq;  
præripiunt, quod allatura erat ipsa diuturnitas, quæ  
maximos luctus vetustate tollit, nec expectant tem-  
poris medicinam, quam repræsentare ratione pos-  
sunt: sic non una vice, primo isto luctus tempore,  
satis se illo humanitatis officio perfunctos putant,  
sed virorum, quos ob virtutem & præclara merita  
charos habuerant, memoriam sempiternam conser-  
vant. Circa nascentis christianæ ecclesiæ initia  
tam illi, qui Christo nomen dederant, quam qui  
adhuc idola sua sequebantur, tam religiosa jura  
mortuis suis tribuebant, ut munera & epularum ad  
sepulchra ipsorum oblatione memoriam eorum  
subinde renovarent.

Quod igitur nec nobis tanti viri memoria ex-  
ciderit, quamvis nunc aliquid temporis ab ejus mor-  
te intercesserit, id nemo prudens alii rei tribuet,  
quam nostræ erga piè defunctum & meritis in patri-  
am



am clarissimum virum pietati & debito officio; præ-  
fertim si & illud consideret, quod memoria justi  
semper, idq; non in futuro tantum, sed & in hoc  
seculo, in benedictione manere debeat: deinde, quod  
non nostrà aliquâ negligentia istud officium præ-  
termissum sit, sed *clarissimi viri Johannis Kirchman-*  
*ni*, valetudine adversâ & morte præpeditum, qui &  
propter consuetudinem, qua solebat bene meritos  
dignis ornare laudibus, & ob amicitiam, quam cum  
Dn. CONSULE coluerat singularem, illud ei præ-  
stitus erat. Ne igitur virtus sua laude careat, & ut il-  
lorum, quos in vita reliquit charissimos, desiderio &  
petitioni satisfiat, COLERO CONSULI ora-  
tione brevi parentare cras hora nona in auditorio  
Cathariniano constituimus. Qui vivum COLE-  
RUM propter insignem virtutem amastis, & ob  
præclara in hanc rem publicam merita venerati estis,  
adeste quæso ad horam dictam frequentes, & in me-  
moria parentis patriæ honoranda eo studio certatim  
confluite, quo semper, dum viveret, ultro eum pro-  
secuti estis: sic enim & virtus suo non defraudabitur  
encomio, & vos, quo animo erga optimè meritos,  
etiam post fata ipsorum, sitis, illustri argumento do-  
cebitis.

Dabam è museo IV. Id. Jan. anno M. DC. XLIV.

